



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

XI. de infantibus & languidis expositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63277)

matre vel a matre oppressus sit vel suffo-
catus, extra culpam omnem non sunt pa-
rentes, indiciturque pœnitentia trium an-
norum, quorum unum peragant in pane
& aque *cap. ult. h. t.* si quidem peccasse
in eo intelliguntur, quod infantem in
communem lectum recipiendo, periculo
oppressionis vel suffocationis exposue-
rint. Qui matrem occiderit, eodem Ju-
re pœnitere debet per decem annos, juxta
formam præscriptam *In Can. Latorem*
XXXIII. q. 2. At vero, qui parentem per
furorem occiderit, impunitus manebit:
nam sufficit eum furore ipso puniri, *l. pe-*
culi. §. fin. ad L. Pompej. De parricidiis l.
14. De officio Præsidis.

TIT. XI.

De Infantibus & Languidis expo-
sitis.

Omni quoque inhumanitate & crudeli-
tate referri sunt, & tanto deteriores
homicidio, quanto calamitosioribus
id inferunt, inquit Justin. *Novel. 153.*
in fine, qui scilicet infantes ac minores
septennio exponunt, seu abjiciunt, ut
vel pereant, vel ab aliis, commiserati-
one motis, suscipiantur & alantur.

A a 3

Can.

Can. si expositus Distinct. 87. Etenim
care videtur non tantum is, qui patrem
præfocat, sed & is, qui abjicit, & is, qui
alimenta denegat, quique publicis
misericiendi causa exponit, quam
non habet, *l. Necare 4. D. De agnosca-*
alendis Lib.

1. *Quæ est pœna exponentium
infantes?*

Digni sunt pœna homicidii. *L. 2. C. de
l. nec filium C. de patr. potest. l. 1. §. p-*
na D. De agnosca. Lib. Et, si pater fuerit,
amittit Jus patriæ potestatis: si Dominus
Jus dominicæ potestatis, non tantum
ipse exposuerit, sed & si ab alio exposuit
sciverit, vel postea ratum habuerit: atque
ita expositus hoc ipso consequetur liber-
tatem: ultraque pœnam, quam meretur
exponens filium vel filiam, privatæ suc-
cessionis filii, seu filiæ, ab intestato des-
cendentis. Nam eo casu expositus videtur
incertum parentem habere, qui filio non
sit dignus, cum filium indignum se exhibe-
maverit, & proinde merito omni utilitate
ex eo proveniente carere debeat.

2. *Quæ est pœna exponentium
languidos?*

Idem Juris est in languidis, (id est, sic
viribus ob infirmitatem deficientibus, ut
ad omnem pene operationem sint inuti-
les) ita expositis, cujuscunque ætatis fu-
erint, sive infantes, sive Majores. Qui
tamen hos suscipiunt, non acquirunt per
hoc in personas ipsorum aliquod jus, c.
fn. h. t. licet aliud Jure Cod. Theodos.
obtinuerit, ut videre licet apud Gregor.
Tholosan. *Syntagm. Juris Univers. Lib. II.*
cap. 10. num. 3.

3. *An impensas repetere potest alens
expositum?*

Quas Impensas repetere possit is, qui
infantem expositum aluit, brevitatis cau-
sa vide apud Azor. 2. v. *Moral. Institut.*
Lib. 2. c. 16. ubi tradit, omnia, quæ de
parentibus exponentibus Infantes statu-
untur Jure Civili Canonico, obtinere
in iis, qui per se vel per alios commode
illos suos alere possunt: si vero præ in-
opia vel egestate aut sine dedecore & i-
guominia eos alere nequeant, curent, ut
in Hospitali saltem aliquo ad hoc pieta-
tis officium extracto, educentur, prout
de servo statuitur in *L. I. C. de Lati-
na Libertate tollenda.*